



## **Acta sanctorum**

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae  
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

XI priores dies complectens

**Bolland, Johannes**

**Parisiis et Romae, 1863**

De Sanctis Martyribus Africanis Epicteto, Quincto, Secundo, Jucundo,  
Saturnino, Vitale, Quincto, Vincentio, Felicitate, Item Quincto, Felice,  
Artaxe, Fortunato, Rustico, Sillo, Quietto, Picto, Et ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72708)

Elogium ex  
Saussaio.

IX Januarii præter citatos auctores, Petrus Galesinius, Philippus Ferrarius. Martyrol. German. Molanus in Addit. ad Usuardum, his verbis: Divione S. Paschasie Virginis. *Fusus Saussaius*: Divione, inquit, Natalis S. Paschasie Virginis et Martyris: quæ a S. Benigno Burgundie Apostolo Evangelica veritate illustrata, post ejus gloriosum agonem, ibidem Christi fidem, eximia sua sanctitate et zelo pietatis intensissimo, plurimum propagavit. Quamobrem ab impiis dire exagitata, atque squalore carceris inediaque

diu afflictæ, demum cum nullis minis ac terroribus a puro numinis cultu abduci posset, quin potius multos suæ admirandæ patientiæ et fortitudinis inspectores a spurcissima idolorum religione revocaret, capitis damnata, atque in rogam vehementem conjecta, inter furentes flammarum globos, Christi redemptoris venerabile nomen, majori quam igneo ardore prædicans ac collaudans, purissimam animam efflavit. *De S. Benigno agemus i Novembris. B. Willelmi Abbatis vitam dedimus i Januarii.*

EX VARIIS.

DE SANCTIS MARTYRIBUS AFRICANIS  
**EPICTETO, QUINCTO, SECUNDO, JUCUNDO,**  
 SATURNINO, VITALE, QUINCTO, VINCENTIO,  
 FELICITATE, ITEM QUINCTO, FELICE, ARTAXE, FORTUNATO,  
 RUSTICO, SILLO, QUIETO, PICTO, ET ALIIS QUINQUE.

IX JANUARI.

**H**orum Sanctorum Martyrum Acta interciderunt, nomina in martyrologiis extant. *Vetustissimum ms. S. Hieronymi*: In Africa Epicteti, Quincti, Secundi, Jocundi, Saturnini, Vitalis, Quincti, Vincentii, et Felicitatis, item Quincti, Felicis, Artaxis, Fortunati, Rustici, Silli, Quietii, et aliorum sex. *Unum ex his sex esse existimamus S. Pictum, qui in perveteri Calendario ms. monasterii S. Maximini Treviris, ita refertur*: Et S. Picti. Et S. Saturnini, in Africa, *ms. Rhinow*: In Africa Epicteti, Jocundi, Saturnini, Vitalis, Felicis, Fortunati. *Rabanus et ms. S. Maximini Treviris*: Natale Episticti, Jocundi, Secundi, Saturnini, Vitalis, Felicis, Rustici, Quincti, et Artaxes, (*Rabanus uno verbo Etartaxes*) Fortunati. *Martyrol. ms. Lætiense*: In Africa natale Sanctorum Jocundi, Quincti, Firmini, Saturnini. *At Firminus Sanctis Smyrnensibus adjungitur ab aliis, ut titulo sequenti dicemus. ms. Martyrol. Adonis monasterii S. Laurentii Leodii*: In Africa Epicteti, Jocundi. Item..... et S. Saturnini. *ms. Flo-*

*rarium*: In Africa Epicteti et Jocundi. Item S. Saturnini. *ms. S. Martini Tornaci*: In Africa natalis Epicteti, Jocundi, Quincti. *Carthus. Colon. in Addit. ad Usuard.* In Africa, Jocundi, Quincti, Saturni (*forte Saturnini*) Martyrum. *Galesinius*: In Africa sanctorum Martyrum Epitheti (*in Notis Epictetum vocat*) et Saturnii, *cit. ms. codicem. Quidam ex his commemorantur quoque in antiquissimo Hibernico martyrologio conventus Dungalensis.*

2 *Martyrologium Romanum*: In Africa sanctorum Martyrum Epicteti, Jucundi, Secundi, Vitalis, Felicis et aliorum septem. Fuit, *inquit Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum*, Epictetus Episcopus Assuritanus in Africa, ad quem extat S. Cypriani epist. 64. Passus est cum sociis sub Decio Imperatore. *Ita ille. Eum ad quem scribit Cyprianus, Episcopum Assuritanum fuisse conjicit Pamelius; Cyprianus tantum fratrem appellat. Nec est argumentum, quo probemus Epictetum illum esse, qui hoc die colitur.*

DE SANCTIS MARTYRIBUS SMYRNENSIBUS  
**VITALE, REVOCATO, FORTUNATO,**  
 FIRMO, SIVE FIRMINO, POSSESSORE. JANUARIO,  
 SATURNINO.

IX JANUARI.

**H**orum tres Vitalis, Revocatus, Fortunatus, plerisque Martyrum tabulis adscripti. *Usuardi editio Parisien. an 1536. Carthusiani Colon. Molanus*: Apud Smyrnam SS. Vitalis, Revocati et Fortunati. *Consentunt Bellinus, Maurolycus, ms. S. Lamberti Leodii, et alia mss. in quibus et Martyres appellantur, ut et in Martyrol. Romano*: Smyrnæ Sanctorum Martyrum Vitalis, Revocati, et Fortunati. *ms. S. Richarii*: In Asia apud Smyrnam SS. Vitalis, Revocati, et Fortunati. *Hos tres Martyrolog. Germanicum Levitas appellat, Ghinius Diaconus*: quod soli Fortunato tribuunt *mss. complura Usuardi Martyrologia, ad usum variarum Belgicarum Ecclesiarum aucta, uti et editio Lubecensis an. 1478. ms. Florar. Sanct.* Apud Smyrnam Natale SS. Vitalis, Revocati, et Fortunati Diaconi, *additur Martyrum in veteri Martyrol. Coloniensi. Galesinius priorem Episcopum, alios Diaconos ait fuisse. ms. Martyrologium secutus*: In Smyrna sanctorum Martyrum Vitalis Episcopi, Revocati et Fortunati Diaconorum. *De his quoque Wandelbertus*:

Quinto Vitali, Fortunato, et Revocato.

2 *De aliis dubium, Smyrnæ an in Africa obierint, nisi fortassis error est in Usuardo ita scribente*: In Africa sanctorum Martyrum Revoluti et Firmini, cum aliis tribus. S. Firminus *Martyribus Africanis supra relatis adjungitur in Martyrologio ms. Lætiensi*: ubi Revocatus dicitur, qui Usuardo Revolutus. *Reliqui in antiquissimo ms. S. Hieronymi exprimuntur, et Smyrnæ quidem cum aliis*: In Smerna Revocati, Firmi, Possessoris, Januarii, Saturnini. *ms. S. Martini Tornaci*: In Smyrna Revocati, Firmini, Saturnini. *Unicum retinemus Revocatam, qui in prioribus Vitali et Fortunato, in posterioribus Firmo, seu Firmino, Possessori, Januario, et Saturnino adjungitur. Cetera nos latent, cum nusquam acta reperiamus.*

3 *Quæri tamen fortasse potest, an non Vitalis et Fortunatus iidem sint, quos titulo præcedenti Martyribus Africanis annumerant Martyrologia mss. S. Hieronymi, Rhinow. S. Maximini, et Rabanus, ideoque in ms. S. Hieronymi hic omittantur. Martyrol. Rom. duos agnoscit Vitales Africanum, et Smyrnensem. Duo quoque*